





Band II



L 5 49.8

Archiv 104

No 545-704.

111



# FOEDVS CONIUGIALE,

IN QVOD

VIR

PRÆCELLENTISSIMVS, AMPLISSIMVS, DOCTISSIMVSQVE

DOMINVS

## M. FRIDERICVS

## CHRISTIANVS

## BAVMEISTERVS,

RECTOR GYMNASII GORLICENSIS MERITISSIMVS, VIR-

GINEM LECTISSIMAM ET EGREGIIS VIRTVTIBVS

ORNATISSIMAM

VIRI

MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI DOCTISSIMIQVE,

DOMINI

## JOHANNIS CASPARI

## HAFERVNGII,

S. S. THEOL. DOCTORIS ET PROF. PVBL. ORDINAR.

VITEMB. CELEBERRIMI ATQVE ALVMNORVM REGIO-

ELECT. EPHORI GRAVISSIMI,

NATV MINOREM FILIAM DILECTISSIMAM

ANNO MDCCXXXVI, d. AVGVST.

ASCIVIT,

CVM VOTO EXOPTATISSIMÆ FELICITATIS ET SEMPITERNÆ BENEDICTIONIS  
DIVINÆ SINCERE GRATVLATVR

## M. ANDREAS WILHELMVS LANGIVS,

S. THEOL. BACCAL. PAST. PRIMAR. BVDISS. ECCLES. EVANGELICAR.  
ET GYMNASII IBIDEM INSPECTOR.

*f. 53. october,  
1736.*





Enuo & merito, **Vir Præcellentissime,**  
**Fautor Aestumatissime,** cum nuper  
ex parte officii rationibus fecerim jam satis,  
me ad gratulandi munus ea, quæ præter ob-  
tentum **Gymnasii Gorlicensis Re-**  
**ctoratum** hoc quidem tempore frueris,  
felicitas provocat. Et sane eas partes, cum amicorum more  
prosperitatem & beatitudinem TVAM meam semper statuam,  
subterfugere religioni mihi duco. Aggressus es, **Vir Cla-**  
**rissime,** nuperrime spartam gravissimam, labore & sudore  
minime carentem, divinitus constitutus & quasi compulsus. Ea  
enim Virorum, quorum humeris Deus onus scholasticum im-  
posuit, & qui officio, sibi demando, non superficialiter, tumultua-  
rie & perfunctorie, non pro lubitu & arbitrato, sed ad Deum  
mandatum & conscientia dictamen rite funguntur, con-  
ditio est. Doctores in **Gymnasiis** & scholis haud dubie  
Viri sunt, quibus, si dicendum, quod res est, mundus minime  
carere potest. Et quanquam forte non pauci, qui se in hac re  
ab assensu sustineant, extent, homines rudes, inepti, stupidi &  
omnis salutaris institutionis impatientes, imo etsi in hunc usque  
diem certa ratione **Epiæcteti** effatum, quod scholarum Doctor  
sit ζῶον, ἔ πάντες κατὰ γελῶσι, verissimum sit maneatque,  
innumeri tamen alii, quot & quanta bona fidei institutione scho-  
lastica in totam regionem, imo universum mundum redundant,  
satis intelligunt, de eadem re dudum convicti. Rarissimos vero,  
nec ubique obvios esse ejusmodi Viros, qui donis, imprimis di-  
dactico, ad illud opus sufficientibus instructi sint, non **Poly-**  
**histor** ille **Morhofius** solum suo tempore observavit, sed  
quotidiana quoque experientia testatur. Multi quidem dantur  
Doctores, nomine tales, sed minime re, ad docendum parum  
apti, & plus discentes docendo confundentes, quam salutariter  
instituentes. Latum hic dicendorum campum video, sed  
omnes ambages evitans in solis verbis **B. Dn. Joh. Dinkelii,**  
olim **Superintendentis Coburgensis** meritissimi,  
quibus in deprædicando **Dn. Cyriaco Lindemanno,**  
olim **Doctore Scholæ Portensis** integerrimo, usus est, ac-  
quiesco. Sic vero illa sese habent: **Tota docendi ratio**  
ita



ita erat conformata, ut non, quibus ipse delectaretur, aut quæ magna & splendida aliis viderentur, legeret, sed quæ præfenti cœtui & diversitati ingeniorum maxime profutura judicabat: Et diligentissime cavebat, ne NB. inutilibus, superfluis, non necessariis & tantum ad ostentationem stultam peculiaris eruditionis comparatis, imo prolixis commentariis & notationibus, ut vocant, tempus male tereret, pueros, qui de tantis ampullis nihil intelligerent, obrueret, atque adeo obtunderet, sed ea tantum, quæ cuique classi convenirent, diligenter explicaret atque multoties repeteret. Vel hoc unicum, quis & qualis Doctor Scholasticus esse debeat, abunde docet. At innumeras quoque hic sese offerre difficultates atque molestias, quis non videt? Quod enim dudum proverbialiter dictum est: **Non ex quovis ligno fit Mercurius**, id in discipulos multos huc usque quadrat, adeo, ut non parum laboris impendendum, nec parum molestiæ Doctori perferendum sit, si vel minima ejusmodi stupidis ingeniis instillare velit. Quantæ molestiæ insuper & calamitates devorandæ & deglutiendæ sint, nemo facile, nisi Martyr ejusmodi expertus, describet. Parum sæpe gratiæ docentibus referunt discipulos, ubi imprimis quibusdam ob indomitas & effrenatas libidines debita applicatur disciplina. Et hac eademque imprimis opus est, cum omnes admonitiones, cohortationes & verba mansueta neglecta fuerint atque rejecta. Quia in re, si ullus unquam Doctorum, certe **Clarissimus & Celeberrimus Dn. M. Christophorus Baldusius, Cygneus**, in patria Rector inclaruit. Obiit hic omnes officii partes dextre, præsertim vero non tantum **Jobum patientem** in laboribus devorandis & **Sibyllam scientem** in exponendis tradendisque artibus, sed **fortem** quoque **Hectora** in discipulis castigandis sese exhibuit. Dicta olim inde est **Schola Zwickauensis molina poliens (Schleiff-Mühle)** scilicet, referente **Dn. M. Joh.**



M. Joh. Georgio Schledorero, propter disciplinæ  
severitatem, quæ de in posterum in peculiari tractatu emittendo  
fufius sum locuturus. Sed cum disciplina scholastica, si vel  
maxima prudentia exerceatur, sæpissime eludatur, quid incor-  
rigibilis ferocium malitia post se trahat, Docentes in summum  
animi mœrorem experiuntur. Nosti, Præcellentissime  
Vir, in genere quandoque levem Viros Optimos mercedu-  
lam accipere, imo nil, nisi summam ingratitude, reportare  
illius loco. Trocendorfius inde, quem hæctenus laudavi-  
mus, quique, teste Melanchtone, ad regendas scholas,  
ut olim Scipio ad regunda castra, natus erat, Vir gestu cor-  
poris gravi ad terrorem usque, qui cælebs vixit in re tenui mi-  
nusque lauta, dixit: Artes tradebam totius tempore  
vitæ, & quæ sunt mundi præmia? pauper eram,  
quocum notum illud: Res mundo vilis schola Præce-  
ptorque fidelis, fitque canum ductor plaris do-  
mitorque caballi, Imperiis tamen hinc & Tem-  
plis fulcra parantur, ac Deus in cælo dabit illis  
præmia iusta, facit. Et posterius quidem fideles Docto-  
res, ne prorsus animum despondeant, iterum erigit. Com-  
pensat vero Benignissimus Pater Cœlestis labores  
scholasticos in hac quoque vita vario modo. Fit illud quando-  
que nova vocatione divina, quæ si non omnis calamitas tollitur,  
certe minuitur, aut alia ratione animus afflicti relevatur, fit fir-  
ma valetudine, & virium medias inter molestias corroboracione,  
ut nunquam vel raro medicorum præsidia cogantur sollicitare,  
fit porro longævitate, quem ad modum Deus in Daumio,  
vita ad 75. annos, 8. menses &c. protracta, in Celeberrimo  
Weisio, cui mens integra ad annum sexagesimum septimum,  
quo A. 1708. d. 21. Oct. placide obdormivit, & sic ad extre-  
mum usque halitum perstitit, ut Ottonem Gualtperium,  
Schmidium, imo & Antecessorem Tuum, Fau-  
tor Aestumatissime, Beatum & multos alios sicco pe-  
de præteream, curam, diligentiam & labores assiduos dicta re-  
muneratus est ratione. Sic non raro DEVS quosdam, qui be-  
neficiis ejusmodi Viros sublevant, aut onus ipsorum allevant,  
quo-

fol. M

s. A

quo-



quovis modo excitat, quibus omnibus felicissimum ma-  
trimonium, quo sapientissimus ille Director fu-  
dores pensat, addo. Quantum igitur ad Te, Vir Præ-  
stantissime, attinet, provincia & Tibi gravissima man-  
data est, sed cum tot, quot alii in locis, omnibus salutaribus  
constitutionibus, bonis legibus & ordine recto vacuis, inveni-  
unt, molestiis minime conjuncta. Superiores habes sa-  
pientissimos, non politice tantum, verum theologice etiam  
tales, Viros doctrinæ, Religionis, pietatis, S. Mi-  
nisterii & boni ordinis quoque scholastici, quod jam  
in priori epistola gratulatoria paucis ostendi, amantissimos,  
observantissimos, qui ea, qua Vitemberga Tua  
& mea TE dimisit, veneratione, multiplici benedictionis divi-  
næ appreciatione, & adeo solempni ratione, ut eam in li-  
teris ad me exaratis satis prædicare minus potueris, TE rece-  
pere, quem & qualem in TE invenerint, & quanti Viregre-  
gie doctus apud vere doctos sit, indicantes. Quanta  
& in hunc usque diem Proceres Te, & tota incluta urbs  
veneratione prosequatur, quanta TE omnes omnino ad admi-  
rationem usque pietate & observantia colant, quantopere TE  
singuli incolæ a supremo certe ad infimum suspiciant ac verean-  
tur, experientia quotidiana testatur, nec ullus eorum, quibus  
exoptatus Gymnasii Vestri status & salus Civium curæ  
cordique est, extat, qui non sublatis ad cælum manibus pro  
tanto munere summo Directori grates persolvat im-  
mortales. Alumnos habes optimis moribus deditissimos,  
verbo Grosserianos, cum universo Eruditorum & recte  
sentientium cœtu obitum Doctoris & magni Ducis  
perpetuo lugentes. Cum olim Pantenus, qui in Chri-  
stiana schola Alexandrina fideliter docuerat, obiisset,  
discipuli ejus, sepulchrum lacrymis irrigantes, quotidie se-  
pulturæ locum visitabant, ne unquam tanti Doctoris me-  
moriam excideret ipsis. Alumni Gymnasii Gorlicensis  
illi, qua pietate erga vere etiam post fata Magnum Gros-  
B vene-



ferum sunt atque manebunt, & cineres **Divi** illius **Viri** venerantur, nec unquam, nisi eum in **Te Redivivum** conspicerent, a lacrymis sibi temperarent. **Diuus** vero ille in **TE** iisdem donis instructo, eandem pietatem colente, eandem **Numinis Divini** gloriam omnibus in actionibus unice quærente, in **TVORVM** usum strenue laborante, pro ipsorum commodo perpetuo vigilante, & omnia prudenter agente, utique reviviscit, quo de in dies non **CIVES** solum **Gymnasii Vestri**, quorum nullus **Te** **ducem Prudentissimum** unquam deseret & ad alia forte castra, majora sibi rerum suarum incrementa promissurus, abibit, sed etiam alios multos, cum fama de **TVA** prorsus singulari eruditione, donis rarissimis, in primis dono communicandi incomparabili, prudentia in institutendis regendisque juvenibus excellenti, longe lateque fuerit sparsa, ad **TE** haud dubie in posterum ex remotissimis quoque oris cumulatum convolatueros, eosque, qui ex finitimis jamjam locis rarissimæ institutionis gratia ad **TE** confugerunt, & ad invidiam, cujus rabies felicissimis jam successibus obvia est, subsequituris temporibus porro confugient, magis magisque reddes certiores. Imo cum id, quod **Svidas de Athenodoro**, **Celeberrimo Doctore Scholastico** commemorat, quod ignis instar omnium sibi familiarium corda ad amorem & æstimationem sui accenderit, adeo, ut necessario eum singuli amore & favore fuerint prosecuti, in **TE** optime quoque quadret, quare **Gorlicensium** & imprimis **Gymnasii Civium** pectora amore **TVI** & existimatione primo statim intuitu incensa sint, nullus miror. En igitur sub auspicia muneris assignati exoptatissimum levamen! En dulcissimum, quo **TE DEVS** in antecessum beare constituit, solamen! Et cum **statum Hexapolitanum nostrum & scholasticum** imprimis percontanti mihi **Gorlicense Gymnasium** præcipue semper commendatum fuerit, quin **Alumni** scientiarum cupidissimi, avicularum more, cibum anxie appetentium, summo æque desiderio mentis alimenta



menta in posterum quoque expetierint & expectarint, TV vero, Præcellentissime Vir, ad docendum, dicendum, ducendumque natus, ipsorum eodem ardore feceris satis, nullum dubium restat. Quo vero illi TE operi eo majori alacritate accingas, novo levamine Tibi Vitemberga succurrit. Vitembergæ per multos annos cum laude insigni docuisti. Extant varia in historia literaria exempla Professorum Academicorum Celeberrimorum, qui tandem in Gymnasis & scholis Rectores passim constituti sunt, quo Dnn. Otto Gualtperius Bachmannus, Sagittarius, Tulichus, Vincentius, Marbachius, aliique complures referendi sunt. TV, Fautor Honoratissime, non a Professione quadam Academica ad obeundam Rectoris in Gymnasio Gorlicensi spartam discessisti, quanquam, si paulo diutius ibi hæsisse, brevi, editis jam innumeris speciminibus eruditissimis, ad tantam dignitatem evectus fuisses, interim omnium applausu Assessor Facultatis Philosophicæ Vitembergensis Meritissimus talem, qualem Vitemberga Celeberrima exoptare poterat, TE docendo, scribendo, disputando, laborando gessisti, & sic quoque gravem provinciam Vitembergensem cum Rectoratu Gorlicensi ad nutum quidem DEI, sed non sine multorum, qui mecum Te Gymnasium Gorlicense non capere, pleno ore fatentur, stupore, commutasti. Ut vero Leucoris alma, quantopere TIBI pro præstitis laboribus obstricta sit maneatque, ostendat, præmium laborum inæstimabile, omnibus omnino mundi thesauris pretiosius, Tibi exhibet, Nobilissimam, Virtutibus Excellentissimis Eminentissimam, Ornatissimam & Fulgentissimam Virginem, JOHANN. FRIDERICAM HAFERVNGIAM, Magni-



Magnifici, Excellentissimi Doctissimiqve Domini, Domini JOHANNIS CASPARI HAFERVNGII, Doctoris Theologi & Profess. Publ. Ordin. Vitembergensis Celeberrimi, natu minorem Dilectissimam Filiam, dulcissimam vitæ sociam Tibi adjungens & sic studia Tua coronans. De uxoris scholarum Doctoribus, quorum rebus hac ratione per omnia ex parte bene consultum fuit, ex parte vero minus, plura afferrem, sufficit, Virum tot curis, laboribus & molestiis oneratum, haud immerito vitæ consortem quærere, quæ rem domesticam ad ipsius votum curet, adjuvet atqve gubernet. Tu, Vir Præstantissime, piis ad Deum missis suspiriis precibusqve ardentissimis fuis eam, quam Deus Tibi monstravit, invenisti Virginem, probe, pie, pudice & prudenter educatam; Paucis multa dico, cum ipsius laudibus prorsus impar sim, nec charta eas capiat. Ejus vita semper singulare fuit sanctimonia pietatisqve Virginalis speculum atqve exemplar. En! incomparabile præmium Vitembergensium & in antecessum quoqve Gorlicensium laborum. Maxime de eadem lætaris, Deoque mecum immortales grates persoluis. Ego vero, ut antea de sparta, nunc quoqve de Martha cum Leucoridum urbe, tot Fautoribus & amicis, DOMVI HAFERVNGIANÆ inclytæ quam maxime cupientibus, tot Consanguineis & Propinquis egregiis amplissimisqve, imprimis vero cum DOMO, hujus loci, BERGMANNIANA maxime ILLUSTRIS, tot Vitembergensis ac Gorlicensis status florentissimi amatoribus, cum tot NOMINIS AMPLISSIMI BAVMEISTERIANI miratoribus & veneratoribus, imo tot virtutum honorumqve ingenuis cultoribus, animitus Tibi gratulor, Altissimum humilline precatus, ut huic conjugio cœlitus benedicat, & illud semper jucundum, felix faustumqve esse jubeat! Quæ de obitu supra laudati Dn. Baldufii legimus, memoratu utiqve dignissima judico. Sic vero ea sese habent: Cum rude donatus (Baldufius) Numburgi per dimidium anni vix vixisset, repentinam planeqve inusitatam cum uxore mortem obiit. Nam cum uxor interesset baptismo nepotis, ex filia elocata Dn. Matthie Clothen Proto-Notario publico Dicasterii Jenensis & ibidem inter gaudiadiem obiret suum, nuncio hoc repulsus Baldufius subito animam exspiravit, mandatus cum uxore uni sepulchro Numburgi Anno 1580. Absit a Te, Fautor Æstumatissime, Tuaqve Castissima Costa innumeros annos omnis morbus & mors, e contrario Vos Deus diu sospites & incolumes præstet, & corda Vestra mutuo amore ita constantissime accendat, ut tandem post sera tempora mori & uni sepulchro addito epitaphio: Hoc est sepulchrum constanter se in vicem amantium, aut hoc: Felices, quibus una fuit mens semper, & una quos tulit hora simul, quos lapis unus habet, sive illo: Raro felicitatis domesticæ exemplo, ut, qui concorditer vixerant, eodem momento ad Deum migrarent, ne alter superstes alterum lugere cogeretur, mandari queatis! Vale!

Scrib. Budissæ d. xvi. Aug. 1736.









Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1066905 1